



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum II. Decretalium, Per Triginta Titulos Distributum, In Quo Agitur
De Judiciis, Foro Competenti, Libelli Oblatione, Mutuis petitionibus, ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1708

Qvæstio IX. In Tit. Ix. De Feriis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73001)

latio, ut notavimus num. præcedente. Ad
8 Resp. quòd non, si superfit adhuc alia
jure concessa; nam ubi superest remedi-
um ordinarium, ad extraordinarium re-
currendum non est; nisi fortè hoc sit pin-
guius; secus est de quarta, si fiat, prout
conceditur, quandoque fieri posse, sed
cum juris solennitate, de qua num. 783.
Ad 9. Resp. cum Zoëtio cit. n. 18. dila-
tione pendente non debere procedi ad ul-
teriora, intellige in his, super quo dilatio
data est, L. *Sive pars. 3. C. h. t.* hinc
pendente dilatione conquiescit Officium
Judicis, super punctis dilatione
affectis.

789. Ad 10. Resp. affirmativè; nam ejus
præsentia pro concedendis dilationibus re-
quisita solum est in ejus favorem introdu-
cta, cui per ratihabitionem renunciare
potest. Ad 11. Resp. cum distinctione.
Nam, vel obtinuit eam prorogationem

ex falsa, & mentitâ causâ: vel ex verâ,
& justâ: si hoc secundum: ille, qui pro-
rogationem obtinuit à Judice altero in-
scio, excusatur, quamvis Judex venientj
in primo termino, eo in scio prorogato,
expensas, comparando in illo factas, tene-
atur resarcire; si primum: cum nulli do-
lus suus patrocinari debeat, prorogatus
non comparens, altero comparente, in
primo termino, committit stipulationem
judicio sibi, de qua L. 1. & *toto tit. C. si*
ex falsis instrument. Ad 12. Resp. quòd
dies termini totus cedat illi, cui assignatus,
qua dies termini est in termino; datus
enim in commodum ejus, non debet re-
stringi in ejus odium; unde ultimo et-
iam ejus momento rectè compareat, &
omnis, in fine institut. de verbor.

oblig.

* * *

QVÆSTIO IX.

IN TIT. IX. DE FERIIS.

790. **L**icet etiam *Feria* inducant judicio-
rum dilationes; qua de causa titulus
de Feriis, statim subjungitur titulo de di-
lationibus: ex alio tamen fine inducuntur
dilationes; ex alio *feria*. Nam istæ,
ut constabit ex seqq. inducunt cessatio-
nem à certis actibus etiam judicialibus,
propter Dei, & Sanctorum cultum, & ob
bonum publicum, propterea fixæ, ac sta-
biles: Dilationes autem propter utilita-
tem litigantium, ut ritè instructi in judi-
cium veniant, & futuram litem profe-
quantur; aut certè causis exigentibus
indulgeri partibus tempus, intra quod
liti necessaria comparent, instrumenta,
exquirant, Testes inveniant, & ob-
tineant; propterea non firmæ, ac stabiles,
sed juxta rei necessitatem definiendæ.

ARTICULUS. I.

Quid, & quotuplices sint Feria?

791. **F**eria apud *Latinos* dictæ sunt, vel à fe-
riendis victimis, vel à ferendis epulis.
Erant enim Romæ dies festi, in quibus pe-
cudes immolabantur, & epulæ ex pecorū,
frugumquè proventibus fiebant. Apud *Le-*

gistas dictæ quasi *feriæ à foro*: nam dies
sunt, in quibus præstatur vacatio à negotiis
forensibus, L. *Divus. ff. eod. tit.* & sic dicun-
tur *dies quietis à causis*. Apud *Canonistas*
dictæ sunt à *fando*: quia in eis Deus solo
verbo aliquid fecit, & sunt omnes dies se-
ptimanæ, præter Sabbatum.

Feriæ omnes habentur in quadruplici 792
genere, nempe solemnes, temporariæ, re-
pentinæ, & canonicæ. *Solemnes*, de quibus
c. *conquestus, de fer. & L. dies festos C. eod.*
ab omni opere servili vacant, & in Dei ho-
norem, Sanctorumque venerationem indi-
cuntur: *Temporaria* (aliis nominibus *Rustica*
& *Publica*), de quibus fit mentio L.
præsides ff. eod. & L. si in aliquo, de offic.
procons. indicuntur ob utilitatem rusticam,
& publicam, nimirum pro messibus colli-
gendis, & vindemiis faciendis, ac pro varie-
tate regionum citius, aut tardius concedun-
tur.

Repentina, aliis nominibus *imperativa*, 793
& *extraordinaria*, de quibus L. *Sed & ff. §.*
si feria, ff. ex quibus causis, vocantur ex-
tra ordinem indictæ: quales v. g. indice-
bat Imperator iis diebus quibus aut vitæ,
aut

aut imperii auspicia sumpterat, aut insignem victoriam comparaverat. *Canonica* juxta Sylvest. V. *Dominica*, num. 2. sunt dies Septimanæ proximè numerati, in quibus operari per Sacros Canones permittitur. *Feria Latina*, de quibus fit mentio L. 2. §. *quoties*, ff. de orig. juris, fuerunt olim inductæ ob inducias firmatas inter populum Romanum, & Latinos. *Ferari* est ab aliquo opere, vel studio vacare: *Feriatii*, seu *Feriatii dies* appellantur dies omnes, quibus Magistratus jus non dicit propter vocationem publicam, v. g. propter messem, aut vindemias, aut depositum Magistratum, L. 2. ff. de Feriis.

794. Præter hæc not. inter opera, quæ fiunt, alia esse, quæ dicuntur *servilia*, seu *mechanica*; alia *liberalia*: alia, quæ vocantur *mercatus*; alia *mercenaria*: alia *placita*, seu opera judicialia. *Servile*, seu *mechanicum* opus juxta S. Thomam 2. 2. q. 122. a. 4. est aliquod corporale opus ex his, in quibus unus homo alteri inservire solet: seu ad cujus exercitium servos deputatos habemus, ubi ars mechanica dirigit. Suarez l. 2. de diebus festis, c. 17. sic exponit opera servilia, & liberalia, ut servilia sint, quæ spectant ad corpus, & per servos exerceri solent; ut *terram colere*, & *artificia facere*: liberalia verò, quibus animus excolitur, ut loqui, legere, docere. Unde c. 20. ponit differentiam inter opus *servile*, & *liberale*, quasi servile cedat immediatè in utilitatem corporis; liberale autem, & si organo corporeo fiat, cedat immediatè in commodum animæ.

795. Sub nomine *Mercatus* teste Suarez cit. c. 29. veniunt contractus emptionum, & venditionum, locationum, permutationum, cum primis Nundinæ publicæ, quæ magno hominum concursu certis diebus fieri solent; *Placitum* autem accipitur pro causa civili, & aliis actibus judicialibus. Unde notat Pereyra in Elucidat. num. 189. tractatio causæ forensis vocatur *Placitum* in jure canonico, c. 1. de feriis; & c. *Placita* 1 §. q. 4. *Mercenarium* denique opus est, teste Suarez cit. c. 19. quod fit propter temporale lucrum, & stipendium, etiam si contingat esse conditionis non servilis. Non enim ex eo, quod opus fiat propter stipendium,

vel mercedem; servile est, si aliàs ingenuè factum servile non sit.

Præter hæc not. *Ferias solennes*, etiam dici ordinarias, quia SS. Canonibus, vel legibus definitæ sunt, & quotannis recurrunt; ex quibus illæ, quæ ad Dei cultum, & Sanctorum venerationem institutæ sunt, dicuntur *Sacra*; quæ verò in honorem Principis, aut similem causam politicam, ut notavimus supra, vocari profanas, politicas, seu *honorarias*; profanis accensentur ferie necessariæ, seu rusticæ, & nundinarum. Aliæ demum etiam sunt ferie Nuptiarum, quibus à nuptiis publicis, & solennibus abstineri debet, ut habetur c. *Capellanus*. 4. h. 2. de quibus infra.

Notand. 2. in sacris feriis comprehendendi non tantum diem Dominicum, sed alia quoque festa; per quæ non intelliguntur quæcunque, sed ea tantum, in quibus opus servile, & opus mercenarium prohibetur; & auditio Sacri præcipitur. Inter dies festivos, hoc modo acceptos, quidam vocantur *Majores*, de quibus quandoque fit mentio, ubi conceditur *Oratorium* privatum, exceptis certis festis, & *diebus festis majoribus*. De his apud Pereyram cit. n. 1340. meminit Alexander III. c. *licet*, de feriis, & recenset gloss. ibi: Natalem Domini, diem Epiphaniarum, Paschatis, Ascensionis, & Pentecostes. Quæ autem festivitates ab interdicto excipiantur, habentur quatuor c. *Alma*, nempe Natalitium Domini, Pascha, Pentecostes, & Assumptio Deiparæ. Martinus V. & Eugenius IV. exceperunt diem Corporis Christi cum tota octava; Leo X. excepit festum Conceptionis Virginis, de quibus latè Suarez rom. 5. in 3. p. dist. 34. sect. 1.

Not. 3. Festorum dierum nomine, in Brevis Apostolico, extra tempora nuncupato, vel etiam alibi, ubi de festis diebus incidit mentio, venire dies festos sub præcepto (nimirum abstinendi à servilibus, cum obligatione audiendi Sacrum) tenent Aloys. Riccius in praxi aurea, resol. 273. num. 2. & Vivald. in Candel. aureo p. 1. tit. de sacr. ord. num. 35. quod quidem verum est de illis, quin tamen restringatur ad ea sola; cum valde probabili.

796.

797.

798.

biliter doceant, comprehendi *dies duplices, & festos in ordine ad officia divina, licet non sint à laboribus feriat*, Suarez tom. 1. Relig. de dieb. fest. c. 9. num. 22. Emman. Rodr. tom. 3. quest. 23. a. 5. & Fagund. in quinque Eccles. præc. l. 1. c. 2. n. 11.

799.

Hinc etiam Pyrrhus Corradus in Praxi Dispens. Apostolic. l. 4. c. 4. quærens, quando petitur dispensatio, & conceditur, ut quis *extra tempora* à jure statuta, tribus diebus Dominicis, seu *aliis festivis diebus* ordinari possit, quinam sint hujusmodi dies festivi, in quibus Ordines Sacri sint conferendi vigore indulti de promovendo extra tempora? responderet sufficere, eos esse *de præcepto*; & quòd in Diocesi Episcopi ordinantis sit solemnitas diei festi, licet ubique illa non celebretur; Barbosa, de pot. Episc. gloss. 11. n. 18. quod non tantum intelligatur de solemnitate *fori*, sed etiam *chori*, ut pluribus exposuimus lib. 1. tit. 11. de Temporib. Ordinat.

ARTICULUS II.

Quis possit indicare Férias?

800.

IN c. 1. dist. 3. de Consecrat. plures in specie enumerantur solennes feriae Sacrae per annum, nimirum Natalis Domini, Sancti Stephani, Sancti Joannis Evangelistæ, Innocentium, Sancti Sylvestri, octavae Domini, & Theophaniæ, Purificatio Sanctæ Mariæ, Sanctum Pascha cum tota hebdomada, Rogationes tribus diebus, Ascensio Domini, Sancti dies Pentecostes, Sancti Joannis Baptistæ, duodecim Apostolorum, maxime tamen Sanctorum Petri & Pauli, qui mundum suâ prædicatione illuminaverunt, sancti Laurentii, Assumptio sanctæ Mariæ, Nativitatis sanctæ Mariæ, Dedicatio Ecclesiæ, sancti Michaelis Archangeli, Dedicatio cujuscunque Oratorii, & omnium Sanctorum, & Sancti Martini; & illæ Festivitates, *quas singuli Episcopi in suis Episcopalibus cum populo collaudaverint*, quæ vicinis tantum circummorantibus indicendæ sunt, non generaliter omni-

bus. Reliquas verò festivitates per annum non sunt cogendi ad feriandum, nec prohibendi.

Circa prædictum textum not. non omnes dies feriatos, inibi enumeratos, nunc esse in usu, propter consuetudinem contrariam ex rationabili causa inductam; unde quædam sunt, ad quas obligantur Fideles *omnes*, quæ scilicet universales sunt; quædam autem, quæ *vicinos tantum commorantes* ligant, nimirum ex statuto loci per Diocesanos ritè condito. Constat enim in pluribus locis quædam Festa noviter introducta, quæ celebranda sunt ex obligatione audiendi Sacrum, & abstinendi à servilibus; & alia ex antiquis abrogata, propter commune bonum, vel etiam necessitatem, aut specialem loci rationem, ut si aliquis è Sanctis specialiter assumatur in Tutelarem, vel Patronum ejus, &c.

Potestatem porro indicendi ferias solennes, Sacras, in universali Ecclesia, habet Summus Pontifex; pro suis autem diocesis, Episcopi; ratio sumitur ex cit. c. 1. ibi: *& illæ Festivitates, quas Episcopi in suis Episcopatibus collaudaverint*; & c. fin. h. t. ibi: *quas singuli Episcopi in suis Diocesis cum Clero, & populo duxerint solenniter venerandas*; ubi not. verba: *coram Clero, & populo*; ex quibus sequitur, spectato jure communi scripto, Episcopum sine populo præsentem, aut ad id vocato, dies festos instituire non posse; adhibetur autem populus, non ut cum Episcopo statuat venerandos dies; sed potius, ut ab eo audiat Præsul, si multiplicitate festorum oneretur, quæve sint, quæ ex consuetudine coli, omissum est; Petr. Gregor. l. 1. p. juris Can. tit. 19. c. 4. schol. 3. Suarez de legib. l. 2. c. 11. & alii.

Not. tamen, quòd, etsi de jure communi hoc procedat, quòd Episcopus non possit indicare novas ferias sine populo, ut dictum est; nunc tamen consuetudine receptum esse, ut dies festi, populo minime vocato, solâ Episcopi autoritate, adhibito Clericorum Consilio, constituti indicentur; sic Azor Instit. moral. p. 2. l. 1. c. 26. q. 2. hoc tamen intellige de Festis *Sanctorum*, qui autoritate Romani Pontificis *in numerum Sanctorum* sunt

sunt adscripti; sic Azor. cit. quamvis addat Suarez tom. 1. de Relig. l. 2. de dieb. festis, c. 11. à num. 4. idem procedere in honorem illorum, qui sunt *beatificati* tantum.

804. Quæstio est, quid in hoc possit potestas secularis? ante *resolut. not.* non esse dubium, quod Principes seculares possint indicare ferias *politicas*, & *honorarias*, cum obligatione abstinendi à servilibus, & placitis, seu actibus judicialibus ex fine aliquo politico; hoc enim nullo illis jure interdictum est; difficultas est de *Sacris*, quod dupliciter intelligi potest. 1. ut obligent etiam ad auditionem Sacri, sicut alia festa, seu feriae Sacrae per Ecclesiam indictæ; 2. ut obligent saltem ad abstinendum à servilibus. De primò respondendum est negativè; cujus ratio sumitur ex Decreto Innocentii X. qui tale edictum potestatis Laicæ, quo anno 1653. Mediolanensis Gubernator, nixus literis regis, inconsulto etiam Archiepiscopo, indixit Festum S. Dominici celebrandum etiam cum obligatione audiendi Missam, irritum, & inane decrevit eod. anno. 6. Oct.

805. Verba Bullæ Innocentianæ, ut refert Haunoldus tom. 5. tr. 3. num. 234. sunt seqq. *Nos, quibus universalis Ecclesiæ Regimen à Domino commissum est, considerantes, quam perniciosum auctoritati Ecclesiasticæ id esse possit, cum Principes Laici (quos in rebus Ecclesiæ obsequendi potius manet necessitas, quam auctoritas imperandi) non habeant facultatem imperandi dies festos in honorem Sanctorum; de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Sacris Ritibus præpositorum (quibus hoc negotium discutiendum commisimus) consilio, prædictas literas, & edictum, emanatâ auctoritate Laicali, super observatione Festivitatæ S. Dominici, fuisse & esse omnino nulla, nulliusquæ roboris, & momenti, nec aliquo modo servanda, Apostolica auctoritate, tenore præsentium declaramus.*

806. Alterum verò, an potestas secularis, auctoritate suâ, possit indicare Ferias *Sacras* ad honorem alicujus Sancti, obligando ex virtute religionis, ad abstinendum à servilibus, & judicialibus? affirmat apud Haunoldum cit. n. 233. Say-
Tom. II.

rus in clavi regia l. 1. c. 3. num. 17. & Molfesius p. 1. tr. 11. c. 27. numer. 39. negat Haunoldus, & alii. Advertendum autem abstinere à servilibus ex se, non esse actionem *Sacram*, cum fieri possit ex diversis finibus, etiam non Sacris. 2. aliud esse, actionem aliquam, vel omissionem de se indifferentem ad finem, dici *Sacram ex fine*, quem quis per eam tanquam medium intendit; aliud, esse *Sacram ex institutione*, per legitimam potestatem. Non est dubium, à potestate Laica indici posse abstinentiam à servilibus ex fine pio, Sancto, etiam supernaturali; v. g. pro gratiarum actione obtentæ insignis victoriæ, Urbis liberatæ ab hostibus, &c. Quæstio procedit solum, an eandem indicare possit, tanquam *actionem Sacram, ex institutione*?

Et in hoc sensu negandum est, à potestate Laica indici posse ferias *Sacras* cum obligatione abstinendi à servilibus; ita Suarez tom. 1. de Relig. l. 2. c. 12. n. 2. Azor p. 2. l. 1. c. 26. q. 3. & complures alii. Ratio est, quia *sacrare*, seu instituire aliquid ut evadat, & exerceatur tanquam res, vel actio *ex institutione Sacra*, est actus potestatis spiritualis; hac autem potestate carent Laici. Nullus enim Laicorum potest rem de se non *Sacram*, auctoritate suâ elevare, ut exercens illam, dicatur exercere actionem *Sacram ex institutione*; aliàs etiam possent vestes, aquam, & similia, institutione suâ sacrare, ut illis utens diceretur uti re *Sacra*, nulla spiritali interveniente, quod nemo dicit.

Unde, quando dicitur: abstinentia à rebus servilibus non est quid spirituale, & sanctum formaliter, sed indifferens, ut spirituale sit; cum possit ordinari in finem spiritualem (nempe Dei cultum & Sanctorum) vel profanum, & politicum; ergo præcipi potest à potestate Laica. 2. si quid obstat, esset, quod potestas temporalis non possit præcipere, ut illam abstinentiã præstes ob finem spiritualem; sed hoc non obstat. Nam nec Ecclesia præcipit, ut dictam abstinentiam facias ex intentione, *Deum colendi*; aliàs enim violares præceptum Ecclesiæ, abstinendo à servilibus ex fine merè humano. Ma. patet; quia ex nullo alio capite dici potest, quod potestas secularis præcipiat actionem spirituale, consequenter se non extēdat ad indicendas tales ferias.

Dd

Ad.

309. Ad 1. Resp. dato antec. dist. conseq. ergo præcipi potest à potestate Laica, tanquam operatio religiosa, seu *Sacra objectivè*, nimirum *ex solo fine indicentis*; C. tanquam operatio religiosa, seu *sacra subjectivè*, videlicet ex institutione merè laica, N. conseq. hoc enim nulli operationi dare potest, nisi potestas spiritualis, & Ecclesiastica, cujus est elevare actiones, ut tanquam res subjectivè sacræ exercentur, & divino cultui deputatæ sint, illas constituendo in materia religionis, prout colligitur ex *c. cum Laicis*, & *c. fin. de Decimis*; item *c. bene quidem, dist. 96.*

310. Ad 2. Resp. N. maj. sed ideo, quia potestas secularis non potest facere, ut talis cessatio, seu abstinencia à servilibus, sit res *Sacra ex sua institutione*; ex quo etiam constat ad prob. ma. Nam esto potestas secularis, etiam ex fine pio, & sancto præciperet cessationem à servilibus, præciperet quidem actionem Sacram objectivè; sed non subjectivè, nimirum Sacram ex institutione sua, seu suâ lege institutam, tanquam rem divino cultui sacratam; cum hoc non respiciat materiam pertinentem ad gubernationem politicam, quam non egreditur potestas Laica; sed Ecclesiasticam, ad quam illa se non porrigit.

311. Dices præterea 3. Principes sæpe sub gravibus pœnis, in signum lætitiæ, indicunt ferias à servilibus, & aliis actibus celebrari solitis extra Ferias; 4. etiam graves pœnas statuunt violantibus ferias sacras ab Ecclesia indictas; de quibus Leo, & Anthemius Imperatores *L. ult. C. h. t. ibi: dies Festos Majestati altissimæ dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari (sed Deus quàm procul ab hac lege sunt nostra tempora!) nec ullis executionum vexationibus profanari. Dominicum itaque diem ita semper honorabilem decernimus, & venerandum, ut à cunctis executionibus excusetur: nulla quemquæ urgeat admonitio, nulla fideiussionis flagitetur exactio, taceat apparitio, advocatio delitescat: sit ille dies à cognitionibus alienus, præconis horrida vox silecat, respirent à controversiis litigantes, & habeant fœderis intervalum, ad sese simul veniant Adversarii non timentes, subeat animos vicaria pœnitudine, pacta conferant, transactiones*

loquantur. Ne hujus tamen Religiosi diei otia relaxantes, obscœnis quemquam patimur voluptatibus detineri. Nihil eodem die sibi vendicet Scena theatralis, aut Circense certamen, aut ferarum lacrymosa spectacula. Et si in nostrum Ortum, aut Natalem celebranda solennitas inciderit, differatur, &c. Demum, quilibet voto (ergo etiam lege) obligari potest ad abstinendum à servilibus certis diebus; ergo.

Ad 3. Resp. ex *l. 1. tit. de constitut.* 812 appositionem pœnæ temporalis non esse certum signum, quod legislator intendat *graviter* obligare ad actum sub lege positum; cum metu pœnæ facilius obtineant finem suum, qui est abstinere à commissione, vel omissione per legem verita. Unde merito Suarez *cit. c. 12. n. 7.* & alii censent, transgressores talis præcepti politici non videri peccatum mortale committere, secluso scandalo, aliisque circumstantiis extrinsecis; quia non videtur hæc materia *gravis*, & graviter reipublicæ gubernationi conducens, præcipuè cum, ex illius transgressione, pœnam subire teneatur, si ei fuerit imposta; sic Suarez *cit.*

Ad 4. Resp. etiam à Principibus Laicis 813 rectissimè præcipi, ut festa per Ecclesiam indicta pro Dei, & Sanctorum cultu, per opera in eum finem instituta ab Ecclesia, omnibus fidelibus potest præcipere, ut justis Principum secularium legibus etiam in materia profana obtemperent; & Sacramenta à Christo instituta debite frequententur, & recipiantur; sed sicut exinde non sequitur, quod Ecclesia pro cunctis fidelibus possit condere leges in materia merè temporali, quæ ex ipsius constitutione omnes ligent; aut instituere Sacramenta: sic non sequitur, quod Princeps secularis possit instituere, ut actiones præceptæ, vel omissiones tali die prohibita ex ipsius institutione sint sacræ, quod tamen fieri oporteret, ut cessatio à divinis ex tali institutione sit *Sacra*.

Ad 5. Resp. esse discrimen; nam *indicare Ferias* est actus jurisdictionis; *votum facere*, non est actus jurisdictionis; hinc votens non obligatur ex vi jurisdictionis alienæ, cui aliàs subicitur; secus obligatus ex lege. Hinc, si quæ communitas edit 814
votum;

votum; talem diem celebrandi solenniter etiam in foro, & choro, obligabuntur quidem in vi voti; non in vi legis potestate jurisdictionis gubernativæ conditæ; secus est, si deinde, assensu, & potestate Ordinarii, tali die indicerentur feriæ Sacra; sed tum obligatio non tantum esset ex voto, sed etiam lege, sed Ecclesiastica.

815. Dices. 6. ergo saltem poterunt induci tales feriæ potestate laicâ per consuetudinem. Resp. cum dist. & concedo illatum, si accedat consensus Ordinarii expressus, vel tacitus; nego autem, hoc concluso. Nam, ut rectè tradit Suarez *cit. tom. 1. l. 12. c. 4. n. 5.* consuetudo, vim legis obtinens, à nemine induci potest, nisi de consensu saltem tacito, & legali ejus, qui potest expressè talem legem condere, ut pluribus dictum est *l. 1. tit. 4. de consuetud.*

ARTICULUS III.

De actionibus prohibitis in feriis Sacris.

816. EX actionibus, aliæ sunt serviles, & mechanicæ; aliæ liberales: de utroque genere agunt Theologi morales in præceptis primæ tabulæ; nos breviter exponemus, quæ ad illa pertinent, transitori subinde ad illa, quæ hoc titulo specialiter memorantur, ut sunt mercatus, & judicia; hæc enim specialiter pertinent ad hunc locum, iis, quæ concernunt matrimonia certis feriis celebrari solenniter prohibita, translatis ad lib. 4. ubi de hoc ex professo, quando exponitur impedimentum, quod explicatur per *Ecclesia vetitum, & dies feriatos.*

¶ I.

De his, quæ positivè præcepta sunt diebus festis.

817. CUM ex dictis constet, in observatione feriarum Sacrarum, quæ supponunt pro festis ab Ecclesia præscriptis, ut

celebrentur tam in foro, quàm in choro, duo præcipi, auditionem missæ, & abstinentiam à servilibus; ambo autem tendant ad hoc, ut talis dies sanctificetur (juxta illud Exod. 20. *memento, ut diem Sabbathi sanctifices*) videtur, principaliter esse præceptum positivum, quanquam de materiali re ipsa importet omissionem servilium, sed eo fine, ut diei Sanctitas operatione, & omissione, sanctificetur, hoc est, sanctis exercitiis transigatur; unde dici poterit formaliter positivum, materialiter negativum, adeoque mixtum ex positivo, & negativo; de primo dicemus hoc §. de reliquis in seqq.

Primum igitur, quod quæ positivum præcipit, est auditio missæ; quam materiam ex professo tradidimus in præceptis primæ tabulæ. Quæstio autem est, an præter auditionem missæ præcipiatur in his feriis, sacra Communio, saltem Paschalis? 2. an aliqua Oratio? 3. an concionis auditio? 4. an aliquæ oblationes faciendæ? 5. an aliqui actus charitatis? 6. an pœnitentia de peccatis? Ad. 1. Resp. ex vi præcepti positivi de celebratione Festorum, non præcipi, etiam Communionem Paschalem determinatè ullo die festo; ita Suarez *tom. 1. de Relig. l. 2. de festis, c. 16. n. 2.* Nam, quod semel in anno teneamur sumere Sacram Eucharistiam, est ex vi præcepti divini; non, celebrandi festa; tempus autem Paschale determinavit Ecclesia in *c. omnis utriusque, de pœnitent. & remiss.* relicta libertate sumendi eam, etiam extra diem festum intra Paschale tempus, quo clauduntur plures dies non festivi.

Ad 2. Resp. aliquas esse orationes, quas celebrans dicit in missa non suo, sed Ecclesiæ nomine; alias, quæ sunt extra missam; ad has igitur præceptum celebrandi festum non obligat; etsi meritò consulantur; ad eas verò solum, ut illis cum debita attentione, ac reverentiâ intersint. Unde quando dicitur, *ab itinerantibus missam, & orationes* non esse intermittendas, non est sermo de orationibus extra missam; quamvis enim *missa, & orationes*, videantur supponere pro distinctis, intelligendum tamen est de *missa*, in quantum supponit pro *sacrificio*; à quo distinctæ sunt ipsæ orationes, quæ à Sacerdote dicuntur intra missam; hæc enim

¶ Dd 2

enim

enim sacrificio superaddit plures preces, Ecclesiæ nomine dicendas; concomitando *sacrificium*. Confirmari hoc totum potest, ex c. *missas*. 64. dist. 1. de consecr. ibi: *missas, die Dominico, secularibus totas audire, speciali ordine, precipimus: ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non presumat. Quod si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur*; Orationes enim illæ spectant ad integritatem Missæ.

820. Ad 3. Resp. ex vi præcepti observandis festis, & per se loquendo, non esse sub obligatione, *concionem audire*; ita Suarez cit. c. 16. n. 6. & plures alii; nam nulla obligatio, ex vi alicujus legis, vel præcepti, dicenda est incumbere subditis per ordinem ad aliquam actionem determinatam, quam nec ipsa lex exprimit, nec necessitas statuendi legem exigit; sed lex celebrandi festa non exprimit obligationem, ad actum determinatè audiendi concionem diebus festis per ordinem ad actum audiendi Missam, & abstinendi à servilibus; nec etiam necessitas statuendi talem legem hoc exigit. Certum enim est, quòd lex celebrandi festa ad auditionem concionis non habeat se, sicut ad auditionem Missæ; hæc enim obligatio & in subditos, & in Curatos cadit absolutè; cum quolibet festo celebrare teneantur, ut populus Missam audire valeat; non autem quolibet die concionari, ut colligitur ex Trid. sess. 5. de reform. c. 2. & sess. 24. c. 4. ubi solum in hac materia loquitur de diebus *Dominicis*, & *solemnioribus* festis.

821. Hinc quando in Apostolorum canone 10. dicitur, quòd fideles, convenientes in solennitatibus Sacris ad Ecclesiam, & Scripturas Apostolorum, & Evangelium debeant audire, solum procedit de his, quæ dicuntur in Missa, ad Epistolam, & Evangelium, quæ partes sunt extra substantiam *sacrificii*, & *Missam* integraliter, sicut dictum est de orationibus dici solitis in Sacro; & cum dicitur in c. *Sacerdote*. 63. dist. 1. de Consecrat. *excommunicandus, qui Sacerdote Verbum Dei in Ecclesia faciente, egressus fuerit de Auditorio*, exponendum est de egressu graviter scandaloso, vel cum contemptu concionantis, tanquam minus liberati, ut notat gloss. in dict. c. *Sacerdote*, istud c. exponens

juxta c. *Sedulò*. 12. dist. 38. ubi dicitur, *sedulo monendos Scholasticos, ne contemnant Ecclesiasticam simplicitatem*.

Dices. 1. q. 1. c. *Interrogo Vos*. 94. dicitur, *aque servandum esse Verbum Christi, ac Corpus Christi*; æquiparatur ergo Verbum Dei corpori Christi; & sensus est non minus peccare illum, qui negligenter audit Verbum Dei, quàm qui indignè tractat corpus Christi: ergo etiam peccat omittens assistentiam Verbo Dei, quàm omittens assistentiam corpori Christi; atqui hæc die festo est de præcepto; ergo & illa. Deinde auditio Missæ die festo est sub obligatione, ex cit. c. *missas*; ergo etiam auditio Verbi Dei. patet consequ. nam auditio Verbi Dei est fidelibus maximè necessaria, c. *inter cetera*. 15. de offic. ordin. Demùm: Pastores animarum, quales sunt Episcopi, & Parochi obligati sunt concionem habere diebus festis, in qua necessaria ad salutem Fidelibus proponant; ergo Fideles tenentur huic concioni assistere; tum quia in illorum utilitatem Parochi, & Episcopi obligantur; tum quia frustranea esset obligatio Pastorum, si oves non tenerentur pabulum ministratum recipere; tum quia *Trident. sess. 24. c. 4. de reformat.* dicit, *teneri unumquemquè, Parochia sua interesse, ubi commodè id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei*.

823. Resp. ad 1. ex c. *interrogo Vos*, ibi non in omnibus, sed tantùm in hoc inter Verbum Dei, & Corpus Christi, fieri æquiparationem, quòd neutrum debeat negligenter tractari, ne scilicet aliquid citra fructum pereat, ut notat gloss. ibid. in casu. Cæterum nullam ibi contineri obligationem, aut præceptum de assistentiâ præstanda Corpori Christi, vel Verbo Dei; quamvis dicatur, si hoc vel illud tractetur, tractandum æquali diligentia; accedit, quòd textus ille non habeat vim canonis; cum solum sit S. Augustini l. 50. homil. 26.

824. Ad c. *inter cetera*. Resp. verum esse, quòd inibi dicatur, *inter cetera, qua ad salutem spectant populi Christiani, pabulum Verbi Dei permaximè nosci necessarium*, cum sit spiritualis cibus animæ; nullum tamen ibidem contineri verbum, quo concludi posset, ergo ex vi præcepti, cele-

celebrandi festa, fideles tenentur die festo audire concionem; id enim etiam extra festa quoad singulos, instructione privata. Ex ejus ergo necessitate ad salutem animæ solùm sequitur Fideles teneri ad edificanda sibi necessaria; sed non, ex vi præcepti celebrandi festa.

825. Ad argumentum sumptum ex obligatione Curatorum, prædicandi Verbum Dei, solùm sequitur eos teneri omnibus ministrare illud animæ pabulum, quod est Verbum Dei, ne ulli excusationi locus sit; consequenter, si quis in particulari non possit habere occasionem discendi, quæ scitu ad animæ suæ salutem necessaria sunt, teneri ea discere ex auditione Verbi Dei, necessitate proveniente ex lege, quæ quisque teneretur consulere suæ salutis; non autem per se, ex præcepto celebrandi festa.

826. Ad 4. Resp. ex vi præcepti celebrandi festa, non esse obligationem faciendi oblationes; constat ex consuetudine passim recepta, quin ullo textu, de sanctificatione festorum loquente, ulla obligatio probetur. Unde, quando in c. *omnis Christianus*. 96. dist. 1. de consecr. dicitur: *omnis Christianus procurer ad missarum solemnitas aliquid Deo offerre, & ducere ad memoriam, quod Deus per Moysen dixit: non apparebis in conspectu meo vacuus*; intelligitur solùm de consilio, seclusis illis oblationibus, quæ debitæ sunt in sustentationem Sacerdotis pauperis; sed sic obligatio non est ex vi præcepti celebrandi festa. Et quamvis gloss. ibi, V. *Vacuus*, dicat: *facere oblationes in diebus privatis, esse Consilium*; sed in diebus festis, esse præceptum; & ita videatur, quòd oblationes sint ex debito exigendæ, & ad eas dandas parochiani sint cogendi; arg. 16. *quæst.* 1. c. *statuimus*, arg. *contra* 12. q. 1. c. *duo*: Sed credo, quòd si Sacerdos pauper est, potest eis divina officia subtrahere, nisi dent ei oblationes, ut *extr. de sim. c. cum sit.* 12. *quæst.* 2. statim tamen in Additione ibidem subjungitur: bene dicit, *credo*, secundum legem cujus fuit ista gloss. tota, & idem sentit H. qui dicit, quòd non credit, quòd oblationes, quæ voluntariè, vel ex devotione fiunt in

festivis diebus, sint debitæ: & possint de jure peti: & idem sentit Frater Ray. Arch.

Ad 5. Resp. ex vi præcepti celebrandi festa, non dari obligationem ad exercendam dilectionem Dei, prout dicit actum formalis dilectionis, condistinctum à dilectione exercita, quæ fit per observantiam eorum, quæ illo præcepto formaliter præcepta sunt, juxta illud Christi, *qui habet mandata mea, & servat ea, hic est, qui diligit me*. Ratio autem est ex eo, quòd nec jure divino, nec humano habeatur ex vi præcepti celebrandi festa, dari obligationem formalis dilectionis Dei; nam festa instituta sunt ad vacandum Deo non quibuscumquè operibus exercendis, sed auditione missæ, & abstinentiâ à servilibus. Cæteri actus, etsi valde laudabiliter fiant; at ex præcepto servandi festa, sub obligatione non sunt; ita S. Thomas. 2. 2. q. 122. a. 4. & alii. Idem ex iisdem rationibus dicendum venit de actu penitentia; nam etiam peccator præstare potest auditionem Missæ, & cessationem à servilibus, etsi nihil de condigno mereatur; præceptum enim impletur positione actus præcepti, secundum quod est sub præcepto.

827.

§. II.

De his, quæ prohibita sunt die Festo.

TRIA sunt, quæ diebus festis interdita sunt, opera servilia, mercatus, & placita; de quibus à n. 794. Potissima difficultas in praxi est, dare regulam cognoscendi, ac distinguendi opera quædam, de quibus inter DD. controversatur, an sint servilia? an liberalia? quinque plerumque actiones numerantur, de quibus disceptatur; primum est scribere, vel transcribere lucri, & mercedis gratiâ; hoc enim plures Summistæ annumerant operibus servilibus, ut videri potest apud Azor. p. 2. l. 1. c. 27. q. 1. Secundum est, pingere, quod saltem aliqui censent servile, propter asinitatem cum transcriptione, præsertim

828.

Dd 3

tim

tim si fiat lucri; vel mercedis causâ. Tertium pariter dicunt servile, *lucri causâ piscari, aucupari, venari*; ut vult Armilla, Angelus, Sylvester, & alii apud Azor cit. q. 7. Quartum est *preliari*, & servile esse docet Castropal. de *observ. fest.* D. 2. p. 5. num. 11. Quintum est, *iter agere*; hoc enim servilibus annumerat Cajetanus, Sotus, & Abulensis, apud Castropal. cit. n. 12.

§29. Ad horum resolutionem, sicut in omni quæstione, statuenda est distinctio inter opus *servile*, ac *liberale* ex utriusquæ definitione: & quamvis nec in hoc puncto consentiant Doctores; præ cæteris tamen rectius definiri videtur *opus servile*, quod proximè, ac immediatè commoditati corporis inservit, & regulariter à servis præstari solet, seu in quibus unus homo alteri inservire solet, seu per ordinem ad quorum exercitium servos deputatos habemus; nam sunt quædam opera immediatè commoditati corporis deservientia, quæ Dominis, & servis communia sunt, nec tamen passim habentur *servilia*: unde opus, quod proximè, ac immediatè refertur ad instruendam mentem propriam, vel alienam, atquæ adeo deservit animo, *liberale* dicitur; & sic utrumquæ definire, videtur de mente D. Thomæ. 2. 2. q. 122. a. 4. & in 3. dist. 37. a. 5. q. 2. ad. 2. & tenet Castropal. cit. p. 5. num. 1. videturquæ ad mentem Ecclesiæ in festis prohibentis *servilia*, ut tali die major, & potior cura sit animi, quàm commoditatis corporum, exceptis tamen quibusdam, quæ quotidianæ corporis necessitati danda sunt.

§30. Ne autem in hoc fiat confusio, quando dicimus, *liberalia* esse, quæ immediatè ordinantur ad animum; & *servilia* quæ ad corporis commoditatem, debere intelligi *de fine operis*, non autem ipsius *operantis*. Communiter enim *finis operis*, ab operante ulterius dirigitur, ac in alium finem (lucrum v. g.) ordinatur, qui finis est *finis operis* solum *extrinsecus*, & mediatus; nec in præsentia attenditur. Sic in omni arte, vel scientia practica, sumpta pro actibus regulantibus, seu ipsis regulis dirigentibus operantem, alius est *finis intrinsecus*, proximus, & adæquatus *actuum regulantium*; alius *regulorum*; alius *operantis*

ex directione talium *regularum*, seu præceptorum talis artis, vel scientiæ practicæ. Certum enim videtur, finem intrinsecum, proximum, & adæquatum regulæ, seu præcepti, haberi formaliter solâ positione actûs regulati, seu positione actûs, secundum quod exigitur ab ipsa regulâ, & præcepto; hoc enim *præcisè* posito conquiescit regulâ, & satis fit adæquatè præcepto, v. g. de audiendo Sacro, de formaliter diligendo Deo; posita enim auditione Sacri, vel dilectione Dei, prout oportebat ex præscripto regulæ, vel præcepti, adæquatè illi satisfactum est; ex quo aliquando in Philosophia docui, objectum proximum, & adæquatum artis acceptæ pro actibus regulantibus, esse ipsos actus regulatos prout oportebat ex præscripto regulæ positos; cum in qualibet scientia operativa, vel arte, finis proximus, & adæquatus idem realiter fit cum objecto illius proximo, & adæquato, seu opere artificioso per se intento. Cum autem ipsi quoque actus regulati, & ipse operans rursus habeant alios fines, & objecta, non propterea finis istorum cum fine intrinsecò actuum regulantium, & præceptorum confundi debet; his observatis:

Sequitur ex hoc, quòd opus quoddam, 831. vel operatio, ex fine suo intrinsecò, & immediato directè ordinanda ad instruendum animum (v. g. intellectum, voluntatem,) ex intentione operantis ordinetur, directè etiam in commoditatem corporis, v. g. ad acquirendum inde lucrum, non rectè inferri, tale opus exercitum esse *servile*; quia in ordine ad hoc non attenditur finis operantis, qui operi est extrinsecus; sed finis operis, is nimirum, in quem ipsum opus proximè, ac per se ordinatur. Et ideo, cum *scribere*, vel etiam *transcribere*, spectato fine suo intrinsecò, & directò, ordinetur in bonum animi (nimirum ad scientiam, illuminandum intellectum, instruendam memoriam propriam, vel alienam; est enim quædam internorum mentis conceptuum notificatio, seu locatio) licet à scribente ordinetur ad lucrum, & mercedem exinde reportandam, per se loquendo non erit opus *servile*, ac die festo, *ex vi præcepti celebrandi festum cessat*.

cessatione operum servilium, prohibitum. Dixi per se; nam per accidens quodvis opus liberale (in quantum impedit positionem actus, lege debitam (v.g. auditionem Sacri) indirectè prohibitum est. Omnis enim lex positiva, directè præcipiens positionem alicujus actus, indirectè prohibet exercitium impossibile cum positione actus præcepti. *Scribere* igitur, aut etiam *transcribere*, licet causa lucri, non est opus *servile*; & ita tenent; *quoad* *scriptionem* Suarez tom. 1. de relig. l. 2. c. 24. Fagundez in V. præcept. Eccl. l. 1. c. 11. à n. 3. & alii; *quoad* *transcriptionem*, Bonacina in 3. præcept. Decalog. q. unic. p. 2. num. 25. *quoad* utrumquè Castropal. cit. à n. 3. cum pluribus aliis.

832. Actionem *pingendi* (esto etiam non fiat causa lucri) de se *servilem* esse, probabilius tenet Suarez cit. tom. 1. l. 1. c. 26. Fagundez, Bonacin. & alii; cum proximè ordinetur solum ad assimilationem ejus, quod imitandum est; quin per hoc directè, ac immediatè quaratur instructio mentis, vel excitatio memoriæ, licet per accidens contingat; & potius tendat ad oblectationem corporis per visum. Et quamvis quandoque exerceatur etiam ab Illustribus, causâ recreationis, vel otii pellendi; ex hoc tamen non fortitur, quod directè intendat bonum mentis proximè; præsertim, cum regulariter, & de se fieri soleat solum ab his, qui alieno servitio destinati sunt per opera sua.

833. *Piscationem*, *Ancupationem* vel *Venationem* esse opus *servile*, tradit Suarez cit. tom. 1. l. 2. c. 28. à num. 3. & alii; nam istæ actiones de se proximè ordinatæ sunt in bonum corporis; idem tenet de bello D. 13. sect. 7. cum sit actio de se merè corporalis, & in corporis commoditatem; non tamen, *iter agere*; ita Suarez cit. c. 27. nam *iter agere* curru, vel equo, de se non ordinatur proximè in corporis commodum, nec regulariter per servos exerceri solet; sic etiam Castropal. & apud illum alii. p. 5. à n. 9.

834. Not. tamen, quasdam actiones, licet serviles, inducta jam consuetudine permitti etiam in festis, necessitate etiam id exigente; in his numeratur præliatio,

præsertim *Missâ* prius auditâ; in bello enim defensivo æquè, ac offensivo, tales operæ revera multum necessariæ; propter quod excusantur etiam servi ad eum finem conducti pro eruendis fossis, faciendis vecturis, &c. ita Suarez cit. D. 13. sect. 7. n. 24.

835. Similiter excusant venationem, ancupationem, piscationem, idque ratione consuetudinis, ubi recepta est; sic Tolemus l. 1. c. 24. Suarez cit. l. 2. de festis. c. 28. num. 5. Fagundez, & alii. Unde, quando in c. licet, de Feriis, hæc cum piscatio die festo Parochianis Archiepiscopi Triburiensis indulta fuit, non tam fuit dispensatio, quam declaratio, quod stante necessitate, quam allegabant, pro faciendâ tali die captura, cæteris non opportuna, illa actio, quantumvis de se servilis, non veniat sub lege. Hinc etiam in itineribus distinguendum est, præsertim quoad vecturas, quæ fiunt per currus. Istæ enim, quæ fiunt necessitate itinerantium, consuetudine jam receptâ permittuntur; aliæ sunt, quæ directè spectant corporis commoditatem, ut sunt vecturæ lignorum, fœni, &c. Similes revera serviles sunt, nec die festo permittuntur, in qua re plurimum nunc pendet ex usu diversarum Regionum non improbatum per Ecclesiasticos, quibus curæ est, observantiam Festorum tueri.

836. Quæ porro veniant nomine mercatus, exposuimus n. 795. illum videtur Castropalaus cit. D. unica, de observat. fest. p. 6. num. 5. annumerare operibus liberalibus; certum tamen est, potiori parte tendere ad corporis commoditatem, & plurimum exerceri, in Nundinis saltem minoribus, à mechanicis, & opificibus; quamvis, ubi sunt Nundinæ solennes, potiori parte Mercatorum, celebrentur per homines non mechanicos, quales censeari non possunt Mercatores grandium quandoque mercium.

837. Communis ceteròquin regula est, opera liberalia die Festo licitè, validequè fieri, exceptis paucis expressis à jure, *mercatus* nimirum, & *fori*, seu judicialium, de quibus c. 1. h. t. ibi: *omnes dies Dominicos à vespera in vesperam, cum*

cum omni veneratione decernimus observari, & ab omni illicito opere abstinere: ut in eis mercatus minimè fiat, neque placitum: neque aliquis ad mortem, vel ad pœnam judicetur, nec Sacramenta (nisi pro pace, vel alia necessitate) præstentur. & c. fin. eod. ubi tamen semper additur limitatio, quando vel servilia, vel etiam alia prohibentur, ut in dict. c. 1. nisi pro pace, vel alia necessitate fiant; c. 3. eod. ibi: eorum captioni ingruente necessitate intendere; c. fin. eod. ibi: nisi necessitas urgeat vel pietas, ubi sermo est de operibus judicialibus.

§. III.

De operibus judicialibus prohibitis die Festo.

338. **Q**uestio 1. est, de citatione, in quantum explicat mandatum Judicis de citando Reo, ac ejus executione; illam porrò sic acceptam die festo non modò illicitam, sed etiam invalidam esse, communis tenet. Loquimur autem de festis, prout explicant dies feriatis, seu festivos legitimâ Ecclesiæ autoritate ad Dei, & Sanctorum venerationem inductos; ratio sumitur ex c. fin. h. t. ubi Gregorius IX. recensitis præcipuis diebus feriatis (etiam annumerando illos, quos Ordinarii locorum in suis Dicecesibus duxerint cum Clero, & populo solenniter venerandos) subjungit: quibus utiquè solemnibus feriis (nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat) usque adeo convenit ab hujusmodi abstinere, ut consentientibus etiam partibus, nec processus habitus teneat, nec sententia, quam contingit diebus hujusmodi promulgari. Licet diebus feriatis, qui gratia vindemiarum, vel Messum, ob necessitates hominum, indulgentur, procedi valeat, si de partium processerit voluntate.

339. Et quamvis in hoc allato textu explicitè solum loquatur Pontifex de processu; & sententia judiciali; prohibitionem tamen annullativam secus gestorum procedere de omni actu jurisdictionis con-

contentiosæ, celebrato tali festo, constat ex initio ejusdem c. fin. ibi: quamvis non prorogari, sed expediri deceat questiones; debet tamen judicialis strepitus, diebus conquiscescere feriatis, qui ob reverentiam Dei noscuntur esse statuti; quibus post enumeratos dies illos (inter quos etiam expressè veniunt dies feriati in honorem Sanctorum) subjungit dictam clausulam irritantem; nec dubium est, citationem pertinere ad iudicium, processum, seu actus jurisdictionis contentiosæ, ut constat ex hæctenus dictis; ergo facta die festo illicita est, & nulla; consequenter perinde, ac si facta non esset, in ordine ad effectus juris, quos legitimè cœteròquin facta parit.

Ex hac decisione c. fin. deducitur, omnes actus jurisdictionis contentiosæ, diebus Feriatis in honorem Dei, & Sanctorum, seclusa necessitate, vel pietate celebratos, esse prohibitos non utcunquè, sed irritantè ipso jure, ibi: nec processus teneat, nec sententia; adeoque etiam receptionem, & examinationem testium, sub qua 1. venit interpositio iurjurandi, de quo c. 1. h. t. ibi: nec Sacramenta præstentur; 2. ipsa depositio testium; quia revera pertinet ad substantiam iudicii, & processus; & fit autoritate Judicis eam exigendo, & exhibendo, ut tradit Suarez tom. 1. de Relig. c. 2. de festis. c. 30. num. 16. Fagundes in præcept. Eccles. l. 1. c. 13. numer. 16. & alii. Nam licet Sacri canones supr. cit. non omnem partem processus die Festo celebrati annullent, sed eam tantum, quæ contentiosam autoritatem Judicis imbibit; hoc tamen ipsum cadit non modò in iuramentum (nam hoc denotant verba: judicialis strepitus; hoc est, actus contentiosæ, ac iudiciariæ jurisdictionis) sed etiam depositionem testium die Festo.

Deducitur. 2. oblationem libelli præcisè, factam ab Actore, die Festo, nec invalidam, nec illicitam esse; cum nec sit actus judicialis (utpote antecedens citationem, à qua primum incipit iudicium minus strictè sumptum; nec imbibat contentiosam Judicis autoritatem; sed sponte fiat ab Actore, nullo judi-

judiciali actu provocato; sic Fagundez cit. l. 1. c. 13. n. 21. & alii.

Deducitur 3. sententiam Judicis inter partes, quæ supponit præviã causæ cognitionem, latam die festo (prout hic de festis agitur) & illicitam, & nullam esse; quia sic revera imbibit strepitum forensẽ, seu jurisdictionem Judicis contentiosam; secus, ubi non exigit judicialem causæ cognitionem, propter rationem contrariam; sic Azor. p. 2. l. 1. c. 27. q. 22. Suarez cit. l. 2. c. 30. n. 9.

Deducitur 4. id procedere de sententia judiciali inter partes cum cognitione causæ, non tantum in causa criminali, sed etiam civili, imò & spirituali. Textus enim c. finalis indefinitè loquitur de qualibet sententia, quæ fertur ex processu cum strepitu forensi, seu judiciali; sic Castropalaus de observantia Festorum, D. unica, p. 7. n. 10.

Dices; ergo nec valebit sententia censuræ lata die festo. Resp. affirmativam teneri ab Antonio Butrio in c. ult. de Feriis. cum omnis vox Judicis silere debeat in talibus feriis, L. ult. C. de Feriis; negari verò à Castropalao cit. n. 11. & aliis, volentibus c. fin. non intelligi de sententiis à delicto removensibus; & non punitivis, sed medicinalibus; nec deniquè illis, quæ sunt solum Superioris medentis, non judicantis.

842. In hac quæstione suppono, sermonem esse de sententia censuræ lata ab homine, non à jure; quo posito dist. illatum: ergo nec valebit sententia censuræ, lata die festo, quæ non prærequirit causæ cognitionem, C. secus, N. illatum. Ad rationes in contrarium Resp. quamlibet sententiam, quæ pœnam aliquam infligit, tendere ad removendum à delicto; & non semper ex fine suo intrinseco, & immediato; & mihi probabilius videtur sententiam censuræ sive à jure, sive ab homine latam, ex fine intrinseco legis, aut sententiæ, esse punitivam; ac medicinalem solum ex fine Legislatoris, vel censurantis; qui est finis extrinsecus legis, vel sententiæ. Hinc pariter negandum venit, sententiam censuræ, latam præviã cognitione causæ, non esse Judicis judicantis.

843. Deducitur 5. executionem sententiæ sive criminalis, sive civilis, factam die festo, & illicitam, & invalidam esse; cum
Tom. II.

sit actus, & complementum strepitus judicialis, imbibens jurisdictionem contentiosam Judicis; Felinus in c. fin. de Judicis n. 13. Suarez cit. c. 30. n. 11. Nec obstat ratio Panormitani, contrarium sentientis in c. fin. de Feriis, & c. fin. de judic. quia licet executio pertineat ad Ministros Judicis, & hic functus sit officio suo in pronuntiando; finis tamen judicii, prout pendet à jurisdictione Judicis, non habetur simpliciter sine executione; cum hæc non fiat juridicè, nisi ut pendens à Judicis jurisdictione contentiosa. Not. autem, quando dicimus, ealem executionem esse irritam, ac nullam, debere intelligi, quando consistit in facto, quod revocari potest, saltem quoad effectus juris, quos ceterò quin pareret, si valida foret, non obstante, quòd infirmari possit.

Magis controversum est, an actus appellationis, die festo interpositus sit licitus, & validus? Rationes negandi, propositas ab aliis, affert Castropalaus cit. n. 13. & sunt sequentes; primò, quia appellatio judicialis est pars processus; sed processus habitus die festo non tenet; ergo neque appellatio. Secundò, pertinet ad strepitum judicii; cum suspendat jurisdictionem in Judice à quo, & firmet in Judice ad quem. Tertio, prosequi appellationem in die festo illicitum est, ex L. 1. C. de Feriis; ergo à fortiori illam statuere: Quarto, cum proponitur Judici appellatio, ipse cognoscere debet, an justa, & legitima sit? ut hac ratione à cognitione causæ abstineat; sed totum hoc pertinet formaliter ad strepitum judicialem; ergo. Quintò, nullo jure habetur, appellationem judicialem licitam, & validam esse; ergo absque fundamento affirmabitur. Sextò, quia nulla excogitari potest necessitas interponendi die festo appellationem; cum ad appellandum decem dies concedantur, in quibus, moraliter loquendo, plures profecti sunt.

His tamen rationibus responderi potest; & quidem ad. 1. dicendo, non omnem partem processus prohibiti die festo, esse prohibitam, sed solum eam, quæ vel est exercitium jurisdictionis contentiosæ, vel eam imbibit; sic oblatio libelli, esto fiat in ordine ad processum, licita est die festo, quia tamen est actus, qui secundum se non est exercitium jurisdictionis,

Ee

hæc

nec eam imbibit, non est strictè judicialis; appellatio autem similiter est solum actus justæ defensionis, in quantum præcisè importat provocationem ad altiorem Judicem; & idè etiam in *L. 1. C. de Feriis*, conceditur, in feriis tam repentinis, quàm solemnibus; ergo ab ipso jure agnoscitur non esse actus, qui nomine *judicialis strepitus* veniant sub lege prohibente.

346. Ad 2. Resp. verum esse, appellationem interposità suspendi appellationem Judicis à quo, non ab ipso appellante, vel ejus appellatione; sed à lege tunc ligante manus talis Judicis; ex hoc autem non sequi, esse actum judicialem, licèt fiat in judicio; hinc habet se ad similitudinem recusationis Judicis, quæ, in quantum importat merum actum recusandi, non videtur inhiberi die festo. Ad 3. Resp. C. antecedens; nam hæc prosecutio sine strepitu judiciali fieri non potest; secus appellatio; sic prosecutio petitionis in libello prohibita est, quin prohibita sit oblatio libelli.

347. Ad 4. Resp. 1. non deesse, qui existiment cognitionem Judicis, num appellatio interposita sit legitima? venire sub prohibitione, ubi necessitas exigit, etiam die festo appellationem interponi, urgentè nimirum justa defensione. Resp. 2. dato illam cognitionem prohiberi; non propterea exinde prohiberi merum actum provocandi; instantia est ex oblatione libelli die festo licita, & valida, quin licèt ulterius ex eo Judex procedat ad causæ cognitionem, vel citationem partis. Ad 5. Resp. sufficere, quòd nullo jure doceatur efficaciter interdicta; & valere, licerequè ostendi potest ex *L. 1. C. h. t.* quam legem jus Canonicum recepit. Ad 6. Resp. plures esse titulos necessitatis, vel pietatis; ut si appellans non possit diutius abesse; si sit pauper, vel aliàs statim Victor procederet ad executionem, &c.

348. Ex his dicendum videtur, etsi opinio negantium appellationem die festo esse validam, & licitam probabiliter procedat; affirmantium tamen, satis communem, non minus probabiliter teneri, in quantum loquitur de solo actu appellandi; & ita tenet gloss. in *c. fin. de Feriis*, Panormit. & Felinus, ibid. aliique complures, cum Haunold. *tom. 5. tract. 3. n. 214. de appellationem.*

Not. præterea, quando hic dicimus actus judiciales die festo exercitos esse illicitos; ac invalidos, nos loqui de festo, prout explicat Ferias Sacras, in choro, & foro celebrandas cum obligatione audiendi eo die Missam; adeoque non de feriis, etiam Ecclesiasticis, quibus solum interdiciuntur Nuptiæ cum solemnitate; nec de feriis repentinis (de quibus *n. 793.*) si actus judiciales in illis celebrentur de consensu partium; tunc enim non celebrantur invalidè; secus, si una parte invitâ, ut habetur *L. 6. ff. h. t.* ibi: si feriatis diebus fuerit judicatum, lege cautum est, ne his diebus judicium sit, nisi ex voluntate partium, & quod aliter adversus ea judicatum fuerit, ne quis judicatum facere cogat.

Not. 2. idem, quod de feriis repentinis dictum est, tenendum de feriis rusticis; ex *L. 1. ff. eod. ibi: ne quis messum, vindemiarumquè tempore Adversarium cogat ad judicium venire, oratione Divi Max. exprimitur; quia occupati circa rem rusticam in forum compellendi non sunt. Sed si Prator aut per ignorantiam, vel socordiam evocare eos perseveraverit, hique sponte venerint, si quidem sententiam dixerit presentibus illis, & sponte litigantibus, sententia valebit, tametsi non rectè fecerit, qui eos evocaverit;* excipe tamen certas causas, quibus cogi poterimus, & per id tempus, cum messes, vindemiarumquè sunt, ad Pratores venire, scilicet, si res tempore peritura sit, hoc est, si dilatio actionem sit peremptura. Sane, quoties res urget, cogendi quidem sumus ad Pratorem venire; Verum ad hoc tantum cogi æquum est, ut *lis contestetur.*

Not. 3. quæ diximus invalidè, ac illicitè fieri quoad strepitum judicialem; procedere quoquè de Arbitro, qui nimirum jure datur, & procedit instar Judicis; secus de Arbitratore solum rogato à partibus pro amabili compositione; hoc enim fit sine interventu, sine ullo judicio, ordinario, vel delegato; ita communis.

Not. 4. actus illos illicitos, & invalidos, excusari à culpa, & nullitate, si fiant die festo, causâ necessitatis, vel pietatis, ut liquet ex facta exceptione per ipsum jus apposita in *n. 850.* Exempla sunt; si periculum sit in mora, si personæ sint miserabiles, pupilli, vel causæ celeritatem exigentes;

res; id, quod determinare, relinquatur arbitrio prudentis, & periti Judicis; hinc nomine necessitatis venit periculum temporalis damni privati, vel publici, L. 1. §. Sed excipiuntur. ff. de Feriis, ibi: *si res tempore peritura sit*, &c. de quibus V. Castropal. *cit. de observat. festorum D. unica. p. 7. num. 17.* ubi tamen nota, ut causa necessitatis, vel pietatis, seu religionis excuset, causam debere, esse certum, ut prævaleat in casu legis certæ.

853. Not. 5. in quæstione, an *quæcunque jura-menta in c. 1. h. t.* die festo prohibita sint? affirmari à Panormit. *in dict. c. 1. n. 8.* sed intelligendum de solis juramentis *judicialibus* tradi à Cajetano 2. 2. q. 122. a. 4. §. *secundum*; mediam sententiam rectius teneri à Suarez l. 2. *de festis. c. 30. n. 17.* dicente, prohiberi omnia, & sola *judicialia*, & firmantia, seu *adjecta contractibus* prohibitis; nam cum *judicialia*, & mercatus tali die æquæ vetita sint, etiam ea prohibita consequenter censerentur debent, reliqua in eorum firmitatem.

854. Not. 6. dubitari, an Judex die festo licite, ac valide det mandatum executionis post jam latam sententiam? fieri posse etiam ipsam executionem in feriis repentinis, & rusticis, censet Haunoldus *cit. n. 220.* imò & Sacris, si non requiritur causæ cognitio, Abbas *in c. fin. h. t. n. 20.* sed etiam solum mandatum faciendi executionem est exercitium jurisdictionis contentiosæ; quamvis aliqui velint, non interdici quodvis exercitium hujus jurisdictionis; sed tantum *judiciale*, quod etiam domi potest fieri, ut mandatum citationis.

855. Not. 7. specialiter etiam controverti, an valeat citatio, mandata quidem, & facta in die festo, sed in diem non festum? 2. si etiam in diem feriatum? In primo casu valere talem citationem, si non referatur ad diem festum, nisi terminum extrinsecum v. g. ad diem dominicum exclusivè, tradit Haunold. *cit. num. 223.* in secundo casu, valituram affirmat innocentius *c. fin. h. t.* sic, ut non quidem teneretur citatus adesse ipso die festo, sed proximo non festo, quin ex hoc haberi posset contumax.

Secunda sententia, simpliciter negat valere; tertia distinguit, & negat valere,
Tom. II.

si dies festus *specificè* exprimat v. g. *proximo die Dominico*, vel *proximo festo B. V. Annunciate*: affirmat valere; si dies festus non exprimat *specificè*, sed v. g. solum tali die mensis, esto contingat, eo die esse diem festum, ut si iubeatur adesse 25. Nov. & in eo loco festum S. Catharinæ sit festum; sic tamen, ut ad declinandam contumaciam sufficiat, quod citatus adsit proximo die non festo; Secunda opinio tribuitur Fagnano; tertia, Zoëtio *h. t. n. 16.* & Ant. Perez *in Cod. h. t. n. 9.* quorum ratio est, quod talis citatio valeret, cum expressione, quod si expresso tali die contingeret, esse festum, compareat proximo non festo; at, etiam hac expressione non facta præsumitur ex intentione citantis eadem conditio; ne præsumamus eum velle contra legem agere; ergo.

ARTICULUS IV.

De reliquis pertinentibus ad hunc titulum.

856. PRIMA quæstio fieri potest occasione dictorum de feriis, qualiter accipiendum sit *initium*, & *finis* Festorum, ut sciatur tempus, intra quod cessandum, vel extra quod vacari possit servilibus? hanc quæstionem Archiepiscopus Terdonensis proposuit Alexandro III. ut habetur *c. 2. h. t.* cui idem Pontifex respondit: *licet scriptum sit, de vespera in vesperam celebrabitur Sabatha vestra: festorum tamen principium, & finis juxta eorum qualitatem, & diversarum regionum consuetudinem debet attendi: & sicut magnitudo dierum exigit, prius incipere, & tardius terminari; & c. 1. eod. ibi: omnes dies Dominicos à vespera in vesperam*, cum omni veneratione decernimus observari; hinc dubitari potest, an modus incipiendi, & terminandi festa, vel diem Dominicum, sit juris divini, vel tantum Ecclesiastici? affirmativam quoad primum sequitur Panormitanus hic; Sylvester autem V. *Dominica q. 2.* hoc restringit ad sola festa primæ Classis, quales sunt Dominica, Natalis Domini

E c 2

Epi

Epiphaniæ, Pentecostes, & Ascensio Domini: sed rectius dicitur, de omnibus festis id tenendum de jure tamen solum Ecclesiastico; si enim foret juris divini, non posset mutari regionum consuetudine; cujus tamen contrarium constat ex textu, ibi: *juxta diversarum regionum consuetudinem debet attendi*; id autem, quod assumitur ex Levit. 23. Christi morte sublatum est; cum spectaverit ad cæremonias veteris legis; quæ in vi legis antiquæ; nec cum aliquid simile præcipitur ab Ecclesia, fideles obligat. Consuetudo autem celebrandi festum à vespera ad vesperam communiter obtinet; ut notat Barbof. in c. 2. h. t. n. 3. quod intelligitur de media nocte prioris, ad mediam noctem sequentis diei.

357. Altera quæstio est de genuflexione, ut habetur dict. c. 2. ibi: *diebus autem Dominicis, & aliis præcipuis festivitibus, sive inter Pascha & Pentecosten, genuum flexio nequaquam debet fieri: nisi aliquis ex devotione id velit facere in Secreto.* In consecrationibus autem Episcoporum, & Clericorum ordinationibus, consecrans, & consecratus tantum, genua flectere possunt: secundum quod consecrationis modus requirit; quod tamen intellige de genuflexionibus, quæ ex præscripto Ecclesiæ cæteròquin in certis actionibus fieri solent; ut tunc intra illud tempus noti fiant; quod videtur inductum ob memoriam Christi, qui, postquam pro salute nostra in cruce obiit, à mortuis die Dominico resurrexit, ut constat ex c. *Sabbatho* 13. dist. 3. de consecrat. ibi: *nam, si diem Dominicum ob venerabilem Resurrectionem Domini nostri JESU Christi non solum in Pascha celebramus, &c.* De significatione porro hujus genuflexionis videri potest Gonzalez cit. c. 2. h. t. à n. 7.

358. Tertia quæstio est de celebratione festi SS. Trinitatis; sic enim de hac habetur in dict. c. 2. h. t. *Præterea Festivitas S. Trinitatis, secundum consuetudinem diversarum regionum, à quibusdam consuevit in octavis Pentecostes: ab aliis in Dominica prima ante Adventum Domini celebrari.* Ecclesia siquidem Romana in usu non habet, quod in aliquo tempore hujusmodi celebret specialiter fe-

stivitatem: cum singulis diebus, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & cætera similia dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis. Ex quibus nota, quod hujus festivitatis peculiare præceptum, aut specialis dies ejus celebrationi assignatus non fuerit primis Ecclesiæ seculis; oriente autem hæresi Arrianâ, in privatis quibusdam Ecclesiis; octavo deinde seculo in quibusdam in octava Pentecostes; in aliis Dominicâ primâ Adventus celebrari cæptum. Unde, quando Alexander III. consultus à PP. Gallicanis, *an dictum festum certo die celebrare liceret?* respondit; *Ecclesiam Romanam non consuevisse speciali die hoc Mysterium celebrare, cum singulis dicatur Gloria Patri: non damnavit illarum Ecclesiarum consuetudinem; sed tantum non indixit pro hoc festo certum diem, quem tamen postea statuit Joannes XXII. ut notat Granatus de offic. divino sect. 6. c. 19.*

Quæstio 4. est, an præter dies festos, qui enumerantur in c. *fin. h. t.* etiam alia festa, quæ hodiè celebranda sub præcepto, licet ibi non expressa, veniant sub illis quibus invalidè, ac illicitè celebrantur actus judiciales? enumerantur autem ibi: Natalis Domini, S. Stephani, Joannis Evangelistæ, Innocentium, S. Sylvestri, Circumcisionis, Epiphaniæ, 7. dies Dominicæ passionis, Resurrectionis cum 7. sequentibus, Ascensionis, Pentecostes, cum duobus, qui sequuntur. Nativitatis Bap. Festivitatum omnium Virginis gloriosæ: 12. Apostolorum, & præcipuè Petri & Pauli, B. Laurentii, Dedicacionis B. Michaëlis, solemnitatis omnium Sanctorum; dies Dominici, cæterâquè solennitates, quas singuli Episcopi in suis Dioccesibus cum Clero, & populo duxerint celebrandas.

Ratio autem dubitandi sumitur ex Constit. Urbani VIII. incip. *Universa*; ibid. Sept. 1642. ubi, postquam ultra dies in c. *fin.* expressos, alii superadditi sunt, subjungit: *non intendimus tamen per hanc nostram Constitutionem dies feriatos circa judicialia in aliquo immutare, quos ad hunc effectum relinquimus in eisdem terminis, & statu, in quibus erant*

erant ante ejus promulgationem; ex quo videtur inferri posse, in aliis diebus festivis non prohiberi dictos actus judiciales. Sed dicendum omnibus diebus feriatis de præcepto, abstinendum à judicialibus; quia licet ibi non exprimantur nominatim omnes, qui de facto sunt; exprimuntur tamen sub his verbis, *caeterisque solemnitatibus, quas Episcopi in suis Diocæssibus, &c.*

361. Circa istam clausulam (*quas Episcopi in suis Diocæssibus duxerint solemniter celebrandas*) quæstiones aliquot proponit P. Antoniùs de Quintanaduennas in Singulari. Theol. moral. tr. 7. Sing. 1. Prima est, an Episcopus, aut locorum Ordinarius possit, absque novo Sedis Apostolicæ decreto, cum Missa, & Officiò diviño, in sua dicecesi Sanctos celebrare, quos in eorum Canonizationis indultis Pontifex celebrandos concedit? Secunda, an de quocumque Sancto canonizato: etiamsi in Calendario non sit descriptus, neque in speciali Bulla detur facultas ad illius celebrationem, dummodo sit in Martyrologio Romano, possit Missa votiva celebrari? Tertia, utrum de Beatificato possit missa votiva dici à quocumque Sacerdote; & Pontificia ab Episcopo: nec non fieri in illius honorem processio solemnitas in aliqua Ecclesia, vel Opido?

362. Ad 1. respondet Quintanaduennas cit. singul. 1. n. 4. quotiescunque extat diploma Pontificium (quo conceditur, ut ab universis Christi fidelibus, quolibet anno, in die obitus talis Sancti Canonizati, festum, & officium, tanquam de Confessore v. g. vel Martyre, ad formam in Rubricis Breviarii præscriptam, solemniter celebrari possit) posse quemlibet Episcopum, vel Ordinarium in sua Dicecesi statuere, ut Missa, & Officium de hujusmodi Sancto, absque novo Pontificis, vel Sacræ Rituum Congregationis decreto celebretur; pro qua Sententia citatur ab eodem, Suarez tom. 1. de Relig. l. 2. c. 11. num. 4. & alii.

Nam, Episcopum posse in sua Dicecesi, saltem cum Clero, & populo, indicare festivitates Sanctorum celebra-

das solemniter; constat ex numer. 800. & tradit Suarez cit. num. 5. Azor, Fagundez, Layman, & alii. *Festa enim instituere*, non solum dicit, quod dies alicujus Sancti, v. g. Sancti Ignatii, ut festivus observetur, in illoque ab opere servili abstinetur, sed quod de ipso etiam Missa, & officium celebrentur. Incongruum enim videtur, ut *festivus* sit in urbe aliqua alicujus Sancti dies, & quod ipsi, pensum divini officii, & Sacrificii Missæ, non impendatur: aut nec mentio in Ecclesiis illius urbis de illo fiat; cum institutio *festorum* ad ipsius Sancti cultum ordinetur, & hic præcipue in Sacrificio Missæ, & divino officio consistat, ac ostendatur; sic ille.

Dices: cum Urbanus VIII. rogatus esset, quomodo intelligantur illa verba: *ad formam in Rubricis Breviarii Romani præscriptam; & an Ordinarii, & Capitula poterunt, eorum arbitrio, recitare de Sanctis Canonizatis, sibi bene visis, non existentibus in Calendario; etiamsi non sint Patronalia Episcopatum, nec minus requiescant in illis corpora, nec notabiles Reliquie illorum?* respondit Sacra Rituum Congregatio, *non posse Ordinarium, neque Capitulum, aut alias recitare Officium de Sanctis Canonizatis, qui non sint in Calendario descripti, vel non sint Patroni Ecclesiarum, aut adsint ipsorum Reliquie insignes juxta Decretum ultimo loco contra abusum emanatum, die 9. Decembris 1628.*

Resp. hanc Congregationis declarationem non obtare dictis; nam illa nihil aliud vult, quam non eo ipso præcisè, quod aliquis Sanctus Canonizatus sit, vel descriptus in Martyrologio Romano, licere facere divinum officium de illo; nisi etiam sit in Calendario Breviarii Romani, vel Patronus Ecclesiæ, vel in ea sint insignes Reliquiæ, *vel extet novum speciale decretum, id concedens*; at, in casu datæ assertionis extat tale novum decretum, ut supponitur in casu; ergo. Tale decretum extat de S. P. N. Ignatio, datum ab Urbano VIII. 1623. ibid. Aug. incipiens: *Rationi congruit; & de S. Franc. Xaverio à Greg. XIV.*

Ad 2. respondet singul. 3. n. 2. posse quem

Ec 3

863

864

865

quem in praxi sequi affirmativam absque periculo venialis peccati; hoc enim videtur traditum à S. Cypriano, & aliis ibid. relatis, dicentibus, *pro natalitiis* (Sanctorum) *annuâ die facimus*; sed *facere* idem erat penes antiquos, quod *sacrificare*, ut tradit Baronius in notation. Martyrolog. c. 4. Deinde cultus, qui Sanctis deferri solet, & potest, completur, quod Sacrificia tam Eucharistiæ, quàm laudum & precum (vulgò *officium*, seu *Horæ Canonice* nuncupatur) in honorem eorum Deo publicè offerantur; & dies festi in eorum memoriam celebrentur, ut tradit Cardinalis Bellarminus tom. I. *Controvers. l. 1. c. 7.* & Castropal. tr. 4. *de fide D. 1. p. 5. numer. 7.* Ludovicus de Torres, *D. 17. d. 1.* & alii communiter. Si ergo solet, & potest hic cultus cuilibet Canonizato exhiberi, etiamsi non sit in Calendario: dummodo sit in Martyrologio, quod est Canonizatorum Catalogus, Missa votiva dici poterit pro libito Sacerdotis die illo.

866. Ad 3. respondet Ludovicus Torres 2.2. *D. 17. d. 8.* ex c. 1. de Reliquiis, & veneratione SS. supposito indulto Pontificio, quod alicui Regno, Provinciæ, Religioni, vel etiam personis particularibus, liceat celebrare, & officium dicere de tali Beatificato, certo die, & loco, in diplomate Pontificio expresso, id non licere aliis, neque alio die, aut loco, *præter assignata in Pontificio diplomate*; ratio ipsius est. 1. quia nemini licet alicuiquem, absque Sedis Apostolicæ auctoritate, cultu publico venerari; sed hic solum in casu posito tali Regno, Religioni, aut personis conceditur: ergo aliis non licet. 2. quia, si omnibus licet, ad quid Pontifex pro tali Religioni cultum limitat? 3. quia hæc specialis concessio tali Religioni facta, est privilegium illi concessum; ergo generalis prohibitio manet integra. 4. quia ita nullum esset discrimen inter Canonizatum, & Beatificatum; si respectu cujuslibet, quilibet cultus liceret: ergo, &c.

867. Castropalaus autem citatus p. 5. §. 5. num. 7. *de hac quest.* sic loquitur: Dicendum est, longè pius, & probabilius esse, posse quemlibet Sacerdotem Missam votivam, & Officium votivum recitare

in honorem illius Beatificati, pro quo Sedes Apostolica concessit alicui speciali Religioni, vel Provinciæ, Missam, & Officium proprium aliquo die celebrare; quia una Missa in uno loco ejusdem valoris est, & æstimationis, ac plures missæ pluribus in locis factæ: ergo Sedes Apostolica concedens, ut in honorem alicujus missa aliqua dicatur, simul declarat dignum esse, in cujus honorem omnes dici possent. Sed hac declaratione facta tollitur prohibitio relata in c. 1. de Reliq. & Venerat. Sanct. in quo cavetur, neminem esse venerandum sine autoritate Romanæ Sedis. Nam cum hunc Sanctum ex tua devotione veneraris, autoritate Romanæ Sedis facis, quæ judicavit dignum esse illa veneratione; hæc ille.

Hanc sententiam Castropalai videtur 868. tacite sequi Quintanaduennas *singul. 5. n. 2. & seq.* ubi etiam ex mente illius respondet ad rationes in contrarium, relatas n. 866. pro quo audiendus est textus c. 1. de Reliquiis, & veneratione Sanctorum, qui sic habet: *Audivimus, quod quidam inter vos, diabolicâ fraude decepti, hominem quemdam in potatione, & ebrietate occisum, quasi Sanctum (more infidelium) venerantur; cum vix pro talibus, in ebrietatibus peremptis, Ecclesia permittat orare.* Dicit enim Apostolus (ebriosi Regnum Dei non possidebunt) *illum ergo non presumatis de cetero colere: cum, etiamsi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro sancto, absque auctoritate Romane Ecclesie, venerari;* quo posito.

869. Resp. ad 1. ex hoc c. nihil aliud haberi, quàm quod non liceat alicui deferre cultum, *tanquam Sancto*, etiamsi patraret miracula, nisi auctoritate Romanæ Ecclesie concessum sit, illum *pro Sancto venerari*; seu nisi autoritate Ecclesie Romanæ declaretur *simpliciter dignus tali cultu*: sed quando extat indultum Pontificium, quod talis Beatificatus coli possit celebratione Missæ, & officio divino, in aliquo Regno, Provincia, &c. non colitur pro Sancto, seu digno tali honore, sine autoritate Ecclesie Romanæ; sicut enim, *qui existit hic, simpliciter existit; sic,*

fic, qui est dignus eo cultu hic, est simpliciter dignus; ergo; ex quo patet ad 1. Ad 2. Resp. limitationem illam esse ad missam propriam de illo, juxta leges Rubricarum; non ad votivam.

870. Ad 3. Resp. duo præstari per privilegium certo loco, vel Religioni concessum. 1. quòd in tali loco de illo dici possit *missa propria*; & in hoc est privilegium loci, & diei: alterum, quòd per hoc eo ipso removeatur prohibitio in c. 1. cit. *ne alicui præstetur cultus, nisi Ecclesia declaratione dicatur simpliciter dignus tali cultu*; & hoc non est particulare illius tantum loci, ut ostendimus. Ad 4. Resp. discrimen esse in eo, quòd præcipiatur de Canonizato; credere, Canonizatum, esse dignum tali cultu; de Beatificato autem solum permittatur; sic Castropalaus, & ex illo Quintanaduennas loc. cit.

871. Quoad alteram partem de processione solenni, affirmativam patiter tenet Castropalaus cit. n. 8. ubi refert, à pluribus 20. Doctoribus Salmanticensibus opinioni affirmanti subscriptum esse. Et, cum opponitur decretum à Sacra Rituum Congregatione, post prædictam horum Doctorum sententiam, editum, & à SS. D.N. Urbano approbatum, ubi sic dicitur: *De Sanctis Episcopis locorum, Martyribus, Civibus, & aliis Festis, de quibus in Calendario Romano, seu Rubricis Breviarii, nihil habetur, ut etiam de Beatis nondum Canonizatis, nihil propria autoritate, constituatur, sed omnino consulatur Sacra Rituum Congregatio*: postea additur; hoc approbatum à SS. P. P. Urbano. Resp. decretum istud non obstare, cum in illo solum statuatur, ne propria auctoritate, extra Summum Pontificem, vel Decretum S. Congregationis Rituum; à Pontifice approbatum; ab Episcopis de Beatis aliquid statuatur; at si cultus votivus deferatur alicui Beatificato, quem Summus Pontifex, indulto suo, simpliciter declaravit dignum cultu per divinum Officium, non sit autoritate propria inferiorum Summo Pontifice; atqui autoritate Papæ declaratus dignus eo cultu tali loco, die, à talibus, est eadem autoritate declaratus simpliciter dignus; ergo.

872. Ad extremum quæres, cum tanta sit varietas opinionum in quæstione, quæ

propriè sit actio servilis; die festo interdita? item, quantum tempus, quo talis actio exercetur, sufficiat, ut tanto tempore laborans, censeatur delinquere lethaliter? quæ in his statui possit regula, ut Confessarii rectè judicent, & poenitentes, præsertim, sæpiùs ista practicanes, ritè instruant? Ad 1. videtur attendendum, an actio talis sit, quæ communiter proximè in commodum corporis, vel potius propter vires corporis, quàm animi, exercetur, & regulariter vulgaribus hominibus, & conductis committi solet? hæc enim à majori Doctorum parte propriè servilis habetur, & prohibita censetur, nisi adsit justa ratio excusans; istæ porò sunt functiones artium mechanicarum, & propriè servorum, ancillarum, rusticorum, nisi sint ex iis, quas exigit necessitas quotidiana, ut sunt parare cibos, &c.

Ad 2. mira est varietas Doctorum; aliqui enim ad peccatum grave contrahendum, ex labore servili die festo fidelibus interdicto, censent (seclusà rationabili causa excusante) exigunt, quod per integram horam continuetur; alii si 5. quadrantibus; alii, si duabus horis; alii si tribus; alii denique si tertia parte diei; quorum Authores videri possunt in Theol. practic. P. Jacobi Illung in. 3. D. 2. q. 1. a. 2. §. 1. à n. 168. qui tanquam rectiorem in praxi censet non improbabilem sententiam Tamburini l. 4. Decal. c. 3. §. 2. n. 1. Laborem illum, per duas horas continuatum, dicentis, non esse materiam gravem; cum sit solum duodecima pars temporis, quo ex præcepto abstinendum est à servilibus; quæ relatè ad totum tempus merito reputari possit materia parva; id, quod consideratis causis, ex quibus talis labor susceptus est, arbitrio prudentis, ac periti Confessarii definitum; relinquendum est; ut contingit aliis præceptis humani solum juris.

